

studium. Excitentur proinde auditores, ut sicut per baptismum ab originali peccato jam liberati sunt, ita et per penitentiam cerebrum usum a mortaliet veniali liberari student.

Potest utiliter et solide haberi concio de ipso festo Conceptionis. Et in prima parte ostendi, quale sit hoc festum, nimirum illud, quo grata et devota mente recolimus, B. Virginem ab omni macula originali (cujus natura et debitum ab aliis hominibus contractum breviter explicari potest) speciali privilegio fuisse preservatam. In secunda ostendatur, quantopere placeat hæc devota celebratio B. Virgini, idque probetur ex variis favoribus ab eadem ob talem cultum exhibitis, quales supra, in exemplis, videre est. In tertia ostendatur, quomodo devote celebrari debeat; scilicet præter alia consueta pietatis officia (puta confessionis, communionis, orationis, etc.) renovando propositum, immaculatam Conceptionem non tam verbis, quam opere ipso, id est per immaculatæ vitæ studium, defendendi. Pro quo fine servare potest Pistorii, in *Matre Admirabili* conc. iv, part. III.

Ex occasione Revelationis, qua B. Brigittæ revelatum est a Virgine, in momento Conceptionis suæ *auræam horam* illuxisse, ostendi potest, quam vere illud tempus *auræa hora* fuerit vocatum. 1. Respectu Dei; quia plus per hanc Conceptionem fuit honoratus, sibi que complacuit, quam per omnium aliorum Sanctorum collective sumptorum conceptionem. 2. Respectu ipsius sanctissimæ Virginis; quæ in momento Conceptionis plus gratiæ accepit, quam omnes Angeli et homines collective accepti habent, aut habituri sunt, uti ex priori paragrapho clarissime patet; et quia præterea ipsa sola sine originali macula concepta, statim gratiæ originalis justitiam accepit, atque adeo merito, sicut aurum omnia alia metalla dignitate longissime antecedit; ita et ipsa omnes creaturas alias longissimo post se relinquit intervallo. 3. Respectu nostri; quia in hac hora salus nostra exordium sumpsit, uti Ecclesia indicat, dum in hoc festo canit: Cum juncunditate Conceptionem Dei Genitricis celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. Unde videtur hoc die et hora nova Esther accessisse ad thronum gratiæ, et audivisse: Non pro te, sed pro omnibus hæc lex (scilicet decretum de originali peccato incurrendo)

facta est; sed et rescissionem decreti saltem quoad effectum impetrasse. Excitentur proinde auditores ad hanc horam cum magna festivitate excipiendam, et ut sibi nunc illam D. Pauli adhortationem applicent: Fratres, jam hora est nos de somno surgere, quia propior est salus nostra, quam cum credidimus. Abjiciamus ergo opera tenebrarum etc. Pro quo fine servare potest conc. i Pistorii, part. III et I.

Ex occasione sententiæ a Deo prolata: « Inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius; ipsa conteret caput tuum; » ostendi potest, quomodo hoc in Conceptione immaculata B. Virginis impletum sit. Itaque 1. Ostendatur, quomodo prius amicitia fuerit inter serpentem tartareum et homines, quatenus per peccatum originale omnes erant filii ire, et sub potestate Diaboli, ubi breviter possunt explicari effectus peccati originalis. 2. Demonstratur, quomodo statim in primo conceptionis instanti fuerit inimicitia inter B. Virginem et serpentem, dum illa jam tunc ab omni peccato originali liberata est, uti fufius probari potest ex argumentis, quibus communiter auctores probare solent, non decessit, ut Mater Dei ullo momento sub potestate Diaboli fuisse dicatur. 3. Probetur quoque, quomodo ex eo momento etiam inter serpentem et semen mulieris, id est, fideles Dei et Deiparæ servos, exorta inimicitia sit, dum ipsa gignendo Salvatorem effecit, ut eriperentur ex ipsius potestate, et filii Dei effecti, gratiam et amicitiam ejusdem obtinerent. Unde excitandi auditores, ut, si quidem velint esse de semine B. Virginis, pergant hanc inimicitiam cum serpente fovere, et amicitiam Dei omni studio conservare, ut, sicut per originale peccatum Adami et Eve exclusi sunt a Paradiso terrestri, ita per gratiam a Christo et Matre illius partem introducantur in celestem Paradisum.

Pro Nativitate B. Virginis.

Ostendi potest, quam vere Ecclesia canat in hoc festo: Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium attulit universo mundo; in quem finem servare potest sententia S. Bernardi, qui dixit: Sinum misericordiæ suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, ustus gratiam, Angelus lætitiæ, tota Tri-

nitatis gloriam, et denique persona Filii Dei carnis substantiam. Itaque per partes ostendatur. 1. Qualem et quantam gloriam accepit Pater celestis per talem Filium, Filius per talem Matrem, Spiritus Sanctus per talem Sponsam. 2. Qualem lætitiæ Angel propter talem Reginam, quæ ipsorum sedes sua cooperatione restaurata sit. 3. Quantam gratiam justis, id est, fideles ejus servi per ipsius cultum. 4. Quantam curationem peccatores, quibus peperit verum Samaritanum, vulnera illorum oleo misericordiæ, et vino justitiæ obligantem. 5. Quantam consolationem tristes animæ Purgatorii senserint, quando intellexerunt eam natam esse, quæ ipsamet postea S. Brigittæ revelavit, se esse matrem omnium in Purgatorio existentium, neque ullam esse in Purgatorio penam, quæ propter ipsam levior non fiat. 6. Quantum gaudium senserint Patres in limbo existentes, dum propinquam adeo redemptionis suæ spem sunt experti. Videri potest Faber, conc. 1 in festo Nat. B. V.

Ostendi potest, quam vere hodie Ecclesia, immo quis amator Virginis, canat: *Ave Maris stella*, prout nomen idem Virgini impostum significat, quia vere omnes hujus stellæ proprietates ei aptissime conveniunt. 1. Quia, ut stella illa splendore, magnitudine, et pulchritudine alias stellas superat; ita omnes Sanctos gratia et gloria longissime antecellit. 2. Quia, sicut stella illa dirigit cursum navigantium; ita ipsa Virgo omnes homines in pelago hujus mundi existentes ad portum salutis perducit. 3. Quia, sicut stella illa fugat nocturnas tenebras et tenebriones, homines vero laboriosos ad opus et laborem excitat; sic ipsa Dæmones et peccata fugat, justos vero ad opera virtuosæ ac meritoria invitat. 4. Quia, sicut illa adamantem et ferrum; ita ipsa, utpote refugium peccatorum, peccatores ad se trahit. Ut adeo merito hoc die Angeli auditii sint canere: Stella Maria maris hodie processit ad ortum. Excitandi proinde auditores, ut illud S. Bernardi monitum semper in mente habeant: In omnibus periculis et dubiis respice stellam, voca Mariam. Ad quem finem videri potest Mäth. Faber, in *Auctario*, them. v, pro festo Nativ. B. V. Pistorius, in *Matre admir.* conc. xvii, in exordio; Justinus Mickoviensis, discursus 353, in *Litania Lauret.*

Ex occasione sententiæ illius: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?*

TOMUS II.

(CANTIC, VI, 9) potest B. Virgo nascens aurora comparari. 1. Quia, ut aurora est signum advenientis solis; ita ipsa signum adventus Christi. 2. Quia, ut aurora latrones et fures; ita ipsa Dæmones fugat. 3. Quia, ut ad auroræ exortum venenata animalia fugiunt; ita ad ortum Mariæ hæreses disparent; juxta illud Ecclesiæ: Gaudet, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. 4. Quia, ut aurora agris; ita ipsa omnibus afflictis singulare solatium affert. 5. Quia, ut aurora avienula ad cantum; ita ipsa homines ad Dei laudem, qua verbis, qua exemplis incitavit. Hortetur proinde concionator auditores, ut, quemadmodum Jacob per totam noctem luctatus cum Domino, et cum Angelus aurora adveniente ei dixisset: Ecce aurora, dimitte me! respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco dicens: Nequaquam vocaberis amplius Jacob (id est, Luctator) sed *Israel*, (id est, videns Deum) erit nomen tuum (GEN. xxxii, 26); ita idipsum quoque suo modo post luctum mortis, id est, culpæ faciant, nec dissimile benedictionem et præconium expectent. Videri potest pro hoc scopo Pistorius, in *Matr. admir.* conc. ix in exord.

Ex occasione thematis: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna?* (CANT. VI, 9). B. Virgo nascens comparari potest novæ lunæ. 1. Quia, ut luna habet omne lumen a sole; ita B. Virgo omnem sanctitatem aliasque gratias a Deo; hinc illud Canticum: Magificat anima meo Dominum. 2. Quia, ut luna splendore alia sidera; ita Beata Virgo omnes Sanctos superat. 3. Quia, ut luna quodammodo exercet dominatum in hæc sublunaria, ita ut Plinius illam ausus est nominare *rerum omnium spiritum*; ita a B. Virg. influxu, dominatu et auxilio universa hominum salus dependet. 4. Quia, ut luna irradiat mundum; ita B. Virgo sua doctrina et exemplis homines velut microcosmum illuminat. 5. Quia, ut luna est mater rotis, ita ut S. Ambrosius et Plinius testentur, quo magis quis sub luna steterit, tanto magis irroratum iri; ita B. Virgo est mater illius rotis, post quem tanloptere suspirabant antiqui Patres, et clamabant: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum!* Excitentur proinde auditores, ut quemadmodum elephantes exorientem lunam ramis proboscide arpeptis, et in sublimem

erectis, gregatum in supplicationis modum uniti saluant, teste Eliano (Lib. IV *Histor. an.* c. IX); et Sacerdotes Ægyptii per campos discurrentes cymbalis et cantu novam lunam salutabant; et Judei in die Neome-niæ epulas festive celebrabant, quia putabant, singularia sibi hoc die beneficia conferri; ita et ipsi hæc omnia spiritualiter per devotas preces et Sacramentorum pium usum facere studeant. Quem in finem serviret conc. v Fabri, in *Auctario*.

Ex occasione sententiæ a Deo olim prolata: *Arcam meam ponam in nubibus et erit signum Fœderis inter me et terram* (GEN. IX, 13); comparari iridi potest B. Virgo. 1. Quia, ut iris est signum pacis inter Deum et homines; ita ipsa, teste Sancto Bernardino, est arcus fœderis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro, quia illum genuit, qui fecit utraque unum, Deum scilicet et homines. Sermon 1 de *Nom. Mar.* n. 1. c. III. 2. Quia ut iris est symbolum misericordiæ divinæ; nisi enim preces matris intervenirent, non esset spes misericordiæ, dicebat olim Christus S. Brigittæ. Lib. *Rev.* c. XXVI. 3. Quia, ut iris arbores et fructus odoriferos efficit; ita ipsa suos cultores bonum de se optimorum exemplorum odorem spirare facit. 4. Quia, ut iris se ad terram inclinat, et auream patellulam relinquere creditur; ita B. Virgo ad hominum preces prouissima, varia illis dona impetrat, et largitur. 5. Quia, ut iris variis coloribus quasi depicta, amabilem aspectum habet; ita B. Virgo ob virtutum suarum miram varietatem et amœnitatem, omnibus eam considerantibus amabilis efficitur. 6. Quia, sicut iris quasi pallium expansum recipit et tutatur homines; ita B. Virgo fideles sub sumo presidium suscipit atque defendit; hinc olim ipsa S. Brigittæ dixit: Ego sto super mundum continua oratione, sicut arcus cœli super nubes. Lib. III *Rev.* Existentur proinde auditores, ut gaudeant de hujus iridis exortu, obseruentque, quod Ecclesiastici suscit: Vide arcum et benedic eum, qui fecit illum. Videri potest Pistor. conc. II, in exord.

Potest B. Virgo nata comparari Nubecula, quam puer Eliæ in Camelo existentem vidit. Nam 1. sicut illa parva erat; ita B. Virgo minima in oculis suis per humilitatem. 2. Sicut illa erat refugium hominis; ita B. Virgo erat mater hominis Dei. 3. Sicut illa ascendebat de mari; ita B. Virgo de pelago infinite potentia et misericordiæ

Dei. 4. Sicut illa statim crevit, et totum cœlum obduxit; ita B. Virgo semper crevit in gratia et meritis, sieque Mediatrix inter Deum, velut solem justitiæ, et homines facta est. 5. Sicut illa in copiosam pluviam resoluta est, qua siccitas diuturna terra tollebatur; ita B. Virgo facta est pluvia cœlestium gratiarum imo et Auctoris gratiæ, quem terra siccissima toties ac tamdiu optabat, ideoque os aperiens dicebat: Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum. Excitentur proinde auditores, ut primo gaudeant de nube culæ hujus exortu festivo. Deinde vero sinum suum expandant, et pluviam tam optatam cum magno desiderio gratitudineque ac fiducia excipiant. Vide Pistorium conc. 3, in exord.

Explicari ex instituto possunt significationes nominis Maria, et ex illis variæ doctrine morales deduci, et quidem ostendi; 1. Quam vere dicatur *amarum mare*; tum quia reperitur congregatio gratiarum, tum quia omnes quodammodo aliorum Sanctorum tribulationes et passiones in ipsa congregavit Deus. 2. Quam recte *Domina* dicatur, utpote enim cum Filio data est omnis potestas in cœlo et in terra. 3. Quam bene ei nomen *Illuminatrix* aut *Illuminatio* conveniat, utpote quæ Soli ipsi, scilicet Christo, vicinissima fuit; hinc a S. Ambrosio aula cœlestium Sacramentorum vocatur, dum ait: Non miror D. Joannem præ cæteris divina mysteria locutum, cui præsto erat aula cœlestium Sacramentorum. 4. Quam merito *Myrrha* vocetur, utpote mundum a corruptione præservans. 5. Quam præ reliquis ei titulus *Stella maris* quadret. Subjungatur singulis brevis adhortatio ad fructum ut ea significatione percipiendam. Pro quo fine servire potest conc. 3 Fabri pro hoc festo, et Pistorii *Mater admir.* conc. 8, part. 2.

Possunt per ejusdem nominis quinas litteras explicari. 1. Variæ officia illius, quæ erga homines exercet, ut quod sit Mater eorum, Advocata, Regina vel Reparatrix, Jaculum contra inimicos, vel Janua cœli, Area thesaurorum, aut Auxiliatrix. 2. Effectus, quos in suis cultoribus producit, nempe Misericordia, Amor Dei, Remissio peccatorum, Illuminatio, Acquisitio meritorum. 3. Mulle-ries illam figurantes, puta Michol, Abigail, Rachel, Judith, Abisag. 4. Quinque lapides pretiosi hoc nomen exornantes, videlicet Margarita, cor confortans; Adamas, reconcilians discordes; Rubinus multum splen-

dens; Jaspis, spectra fugans; Alectorius felicem faciens. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Pistor. conc. 8, par. 2 et Mickoviensem disc. 96.

Ex occasione sententiæ illius: *Oleum effusum nomen tuum* (CANT. I, 3); potest explicari dignitas, utilitas, et suavitas nominis Mariæ; et 1. quidem ostendi, quod, sicut oleum supernat aliis humoribus; ita nomen hoc superet omnia alia nomina purarum creaturarum. 2. Sicut oleum esurientem reficit, ægrum sanat, fatigatum recreat, cœcipientem cum luce illuminat, debilem roborat; ita suo modo etiam spiritualiter hæc omnia faciat hoc nomen sanctissimum; inde merito S. Bonaventura dixit: Quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam nominari non potest sine nominantis utilitate? 3. Sicut oleum, præcipue si ex odoriferis rebus est distillatum, suavem de se odorem emittit; ita, teste S. Bernardo, hoc nomen nominari non potest, quin accendat; nec cogitari, quin recreet affectus diligentium se. Videri potest in hunc finem Pistor. c. VIII, part. I, Mickov. disc. 83 et disc. 96, ubi etiam modos venerandi hoc nomen proponunt.

Ex occasione historiæ a Turselino narratæ (lib. I *Hist. Laur.* c. XVII), quod scilicet eremita quidam, Paulus nomine, viderit singulis annis in nocte Nativitatis ignem de cœlo super eadem Lauretanam descendere, intellexeritque, natalem Deiparæ tali igne condecorari, quod vellet ipsa a Christianis omnibus eum diem festive celebrari; potest explicari, quid hic ignis significet, et quod etiam super pectora sanctorum servorum descendere soleat, ad indicandum 1. Gaudium ex ortu B. Virginis conceptum. 2. Protectionem singularem. 3. Acceptum esse Deo cultum hujus B. Virginis. 4. Cultum ejusdem esse signum electorum. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum, in *Auctario* conc. IV.

Pro Festo Presentationis.

Ex occasione verborum illorum: *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum* (III Reg. II, 6), comparari potest B. Virgo Arce fœderis. 1. Quia, ut S. Bernardus loquitur, Arca intrinsecus portabat Testamenti tabulas, Maria autem ipsius

Testamenti portabat hæredem; illa intra semet legem, hæc Evangelium retinebat; illa manna figurans, hæc Christum figuratum. 2. Quia, ut Arca inter omnes partes templi primum locum obtinebat; ita B. Virgo inter omnes partes mystici templi præcipua, ut et S. Bernardus clare affirmavit dum dixit: Nec in terris locus dignior uteri virginis templo, in quo Filium Dei suscepit; nec in cœlis regali solio, quo Mariam Mariæ Filius sublimavit. 3. Quia, ut Arca fœderis nihil impurum juxta se patiebatur; ita uteri virginis (quemadmodum loquitur Rupertus) nulli carnali commercio accessibilis, nec mens ulli spiritali nequitiæ fuit unquam penetrabilis. 4. Quia, ut Arca potissimum erat adversus hostes presidium; ita B. Virgo commune in similibus occasionibus refugium. 5. Quia, ut Arca illa erit juncta Propitiatorio, ex quo Deus oracula dabat, et hominibus invocantibus se propitium ostendebat; ita B. Virgo conjunctissima erat Deo, propter illam peccatoribus parenti, et celestia mysteria revelanti. 6. Quia, ut propter Arcam benedixit Deus domui Obbedom; ita Deus propter B. Virginem benedicit omnibus, qui illum in pectore suo per amorem recipiunt. Excitandi proinde auditores, ut Arcam hanc venerent, ad eam cum fiducia confugiant, et ingruentibus hostibus clamant eum David: Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. (Ps. CXXXI, v. 8.) Videri potest Pistorius, in *Matre adm.* c. 8, in exord. et Mickoviens. disc. 351.

Ex occasione historiæ Esther, quæ et ipsa, et aliæ puellæ servabantur in uno loco, et præparabantur, ut in sponsas et concubinas Regis Assueri assumi possent, potest comparari B. Virgo Esther. 1. Quia, ut Esther erit formosissima, etiam sine muliebris cultu; ita B. Virgo inexplcabili tam corporis, quam animæ pulchritudine erit prædita. 2. Sicut Esther ante omnes alias placuit oculis Assueri, ideoque in Reginam electa est; ita B. Virgo præ omnibus Sanctis a Deo amata, et in Reginam ac Sponsam assumpta est. 3. Sicut Esther populum suum ab interitu liberavit; ita B. Virgo humanum genus a morte æterna servavit. 4. Sicut Esther Assuerus dimidium regni sui dare promisit; ita Deus B. Virgini misericordiam, quæ quasi est Regni sui dimidium, actu communieavit, altera parte, scilicet Omnipotentia, sibi reservata. 5. Sicut Esther

duas habebat ancillas, unam, cui innitebatur, alteram, quæ vestimenta colligebat; ita B. Virgo pro ancilla habet naturam Angelicam, in qua quasi requiescit, et humanam, quæ virtutes ipsius quasi vestimenta colligit, ut imitetur. Excitentur auditores, ut partim huic Estheri ob suam electionem et felicitatem gratulentur, partim ad eam cum magna fiducia in necessitatibus confugiant. Vide Pistorium conc. 12, part. 2, et conc. 13, part. 1 et 2.

Ex occasione sententiæ a S. Ambrosio prolata: Sit vobis tanquam in imagine descripta vita virginitasque B. Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, formaque virtutis (S. AMBRO. lib. II de Virg.); comparari potest B. Virgo speculo, et 1. ostendit, quam bene plumbo sit solidata, id est, profundissima humilitate. 2. Quam purum ac nitidum vitrum, nempe vita purissima et omni macula carens, in hoc speculo reperitur. 3. Quam eleganter auro charitatis, et gemmis aliarum virtutum, quarum aliqua enarrari possunt, fuerit exornatum. Excitentur proinde auditores, ut hoc speculum in corde suo appendant, et ex ejus frequenti inspectione, quid corrigere, quid tenere debeant, addiscant. Videri potest Miekoviensis disc. 280 et 281, ubi copiose hanc materiam tractat, et per singulas virtutes in specie ostendit, quam recte B. Virgo speculum dicatur.

Ex occasione sententiæ hujus: *Vox turturis audita est in terra nostra* (CANT. II, 12); comparari potest B. Virgo turturi. 1. Quia sicut turtur est prænuntius æstatis, ita ipsa novi Testamenti et temporis gratiæ advenientis signum erat. 2. Sicut turtur est symbolum solitudinis et puritatis; ita B. Virgo utriusque hujus virtutis studiosissima erat. 3. Sicut turturis proprietas est gemere; ita B. Virgo assiduo ad Deum suspirabat, et miseriam humane gentis explorans, auxilium posebat. 4. Sicut turtur in summis montium aut arborum apicibus nidificatur; ita B. Virgo fundamenta et quasi sedem posuit in montibus sanctis. 5. Sicut turturum lex Dei, velut casta hostia manus elegit, teste Hetychio, sibi offerri præcepit; ita B. Virginem quoque sibi veluti castissimum turturum offerri in templum præcepit. Excitandus auditor, ut gaudeat de turturis hujus voce audita, studeatque ad illius imitationem, amare solitudinem, puritatem conservare, pro peccatis suis et alienis ge-

mere, sequi Deo totum consecrare. Pro quo fine servire possunt, quæ Pistorius conc. VI, in exord. et p. I, habet.

Potest B. Virgo comparari candelabro auro a S. Michaeli Zachariæ Propheta ostenso. 1. Quia sicut illud aureum totum fuerat; ita B. Virgo tota quanta est ex auro charitatis facta. 2. Sicut candelabrum illud sustinebat lampadem magnam ardentem; ita Beata Virgo in templo presentata, vitam vivebat ferventissimam, quæ ad omnes homines illuminandos sufficiebat. 3. Sicut in dicto candelabro majorem lampadem ambiabant septem minores lucernæ; ita vita tota B. Virginis erat illustrior reddita per septem virtutes Theologicas et Cardinales. 4. Sicut in eodem candelabro erant septem infusoria, per quæ oleum in lampadem influebat; ita in B. Virgine erant septem dona Spiritus Sancti, per quæ copiosum gratiæ divine oleum subministrabatur. 5. Sicut juxta candelabrum due stabant olivæ, una a dextris, et altera a sinistris; ita et B. Virgini assistebant Divinitas et Humanitas Christi, ex quibus oleum gratiæ divine in ipsam fluebat. Excitentur auditores, ut ad hoc candelabrum per fiduciam et considerationem frequenter accedant, et inde lumen hauriant ad vitam suam recte instituendam. Videri potest Pistorius, in *Matre adm.* conc. XII, in exord.

Pro Festo Annuntiationis.

Ex occasione voculæ *Ave*, potest ostendi, B. Virginem a triplici *ve* speciali privilegio liberatam fuisse, nimirum. 1. A triplici *ve* communi omnibus mulieribus, et a Deo olim Evæ indicato, dum dixit: Multiplicabo ærummas et conceptus tuos; in dolore paries filios tuos; sub viri potestate eris, a quibus omnibus immunis fuit B. Virgo, utpote quæ nec ærummam sensit in conceptu, nec dolorem in partu, nec viro subjecta erat, cum per maternitatem facta sit Domina omnium hominum et Angelorum. 2. A triplici *ve* corporis, communi omnibus hominibus, scilicet infirmitatibus, dolorosa morte, et putrefactione post mortem, a quibus constat ex communi hominum sensu eam immunem fuisse. 3. A triplici *ve* anime, scilicet inordinata concupiscentia, culpa originali et actuali, penaque inde resultante, a quibus iterum liberam fuisse communis Doctorum sensus testatur. Quare adhortandi erunt auditores, ut, quoties unum vel alterum ex

his *ve* sentiant, ad B. Virginem confugiant. Pro quo sane copiosa invenietur materia in Pistor. *Matr. adm.* conc. V et XVII, part. II.

Ex occasione ejusdem voculæ, quæ inversa idem ac *Eva* sonat, insituti potest comparatio inter Evam et Mariam; et 1. Quod sicut Eva a serpente tartareo decepta est; ita B. Virgo contriverit caput illius. 2. Quod sicut Eva per inobedientiam initium fecit perditionis hominum; ita B. Virgo per obedientiam principium jecerit salutis et redemptionis hominum. 3. Quod sicut Eva fuit mater viventium corpore; ita ipsa facta mater sit viventium spiritu. 4. Quod sicut Eva maledicta fuit ob peccatum; ita Maria benedicta fuerit propter virtutem. 5. Quod sicut Eva causa fuit mortis et tristitiæ; ita ipsa causa fuerit vitæ ac lætitiæ. Excitandi proinde auditores, ut tanto majori affectu amplectantur et venerentur Mariam, quanto plures in ea hujus venerationis et devotionis inveniant. Videri potest Miekov. disc. cxxv.

Ex occasione verborum a Christo in cruce prolatorum; « *Ecce mater tua* » (JOAN. XIX, 27), ostendi potest, quomodo B. Virgo facta sit mater omnium hominum; scilicet 1. Quia Christum peperit. 2. Quia ad salutem nostram cooperata est. 3. Quia a Christo sub cruce talis denuntiata. Quæ fuis explicata et probata reperientur apud Fabrum, conc. 3, in *Festo Nativitatis*. Item apud Miekoviensem, disc. cxx, ubi probat B. Virginem fuisse matrem naturalem respectu Dei, spirituales respectu Sancti Joannis Baptiste, quatenus hic ad ejus presentiam sanctificatus est, et legalem respectu aliorum hominum, quorum mater adoptiva a Filio suo constituta est. Item, apud Pistor. conc. III.

Ex occasione verborum: « *Ecce ancilla Domini* » (Luc. I, 38), potest ostendi, quam vere in B. Virgine impleta sit illa Christi sententiæ: « Qui se humiliat, exaltabitur. » Itaque in priori parte concionis ostendatur, quomodo se humiliaverit, ancillam Christi non tantum dicendo, sed etiam garendo per laborem, fidelitatem, subjectionem, ut fuis probat Faber, in *Auctario*, them. 4, in *Festo Annunt.* et conc. X, p. I. In posteriori parte ostendatur, quomodo sit exaltata, dum Mater Dei effecta est, quam dignitatem omnium, quæ a pura creatura obtineri possunt, maximam esse, fuisse. Suarez et alii probant apud et cum Miekoviensi disc. c, et Pistorius conc. I, part. I.

Ex occasione verbi *Fiat*, explicari potest. 1. Quid ipsa B. Virgo hoc verbo effecerit, scilicet quod mundum perditum restaurarit, Deum iratum hominibus placarit, Dei Filium e sinu Patris in terram detraxerit, humanum genus ad summam dignitatem evexerit, caput serpentis contriverit, quæ omnia solide probata apud Fabrum, in *Auctario*, them. II, in *Festo Annunt.* reperientur. 2. Quomodo hos ipsos effectus etiam quisvis homo per verbum *Fiat*, hoc est per conformitatem voluntatis suæ cum divina obtinere possit.

Ex occasione illius: *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum*, (PROV. XXXI, 14), pulchre potest ostendi. 1. Quomodo B. Virgo fuerit navis firmissime compacta, et munita contra aquas peccati, bene solidata per sabulum humilitatis, capacissima propter summam sanctitatem, quæ Christi mater fieri meruit. 2. *Institoris*; quia emere debuit divinisimum panem per varios et heroicis virtutum actus, captivando intellectum, subjuciendo voluntatem, offerendo corpus et sanguinem instar ancille etc. 3. *Portans panem*; scilicet Angelorum, omne delectamentum in se habentem, numquam deficientem, in Bethleem, id est, domo panis expositum. 4. *Panem suum*, qui a se, sine opera viri, conceptum, ex suo sanguine coagmentatum, in suam et filiorum suorum alimoniam procuratum. Excitandi proinde auditores, ut agnoscat beneficium, et panem hunc grati accipiant, atque, in honorem hujus S. Virginis, suam ad utilitatem frequenter cum eo festiva convivia spiritualia instaurant. Quem in finem servare potest pulcherrima exhortatio S. Bernardi apud Fabrum, in *Auctario*, them. 3, in *Festo Annunt.* n. 4.

Pro Festo Visitationis.

Ex occasione verborum: *Intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth*, declarari potest, quos fructus afferat visitatio Delparæ. 1. *Ante mortem*; dum recreat in labore, et benedictionem fructibus affert, ut patet in exemplo Elisabeth, et in monachis, quos laborantes visitavit, eorumque sudorem collectum, ut Deo offerret, secum abstulit, uti in *Spec. Exempl.* videre est. V. *Laborare*. 2. *In morte*; roborando, protegendo, et in cœlum deducendo, uti fecit illi femine sibi devotæ, cujus calores afflatu flabelli mitigavit, et cui cum omnibus Sanctis exequias

celebravit; item puellæ rusticanae, quam tribus turmis Virginum comitata in morte visitavit, secumque ad cœlos deduxit. 3. *Post mortem*; scilicet in Purgatorio, ut patet ex historia, qua revelatum est, B. Virginem sæpius intra annum descendere in Purgatorium, secumque multas animas in cœlum deducere. Ibid. dist. VIII, ex. I et CXVIII.

Ostendi poterit, quomodo B. Virgo ad triplicem partem feliciter peragendum invocari debeat. 1. Ad partem *corporis*; ut pote qui triplici ex capite valde periculosus et molestus est, scilicet ob dolores, ob vitæ periculum, ob incertam proliis educationem et indolem, a quibus omnibus cum libera uerit Virgo beatissima, an non libenter alios quoque invocata liberalit? 2. Ad partem *animæ*, scilicet propositorum conceptorum executionem; qui quam sit difficilis, quotidiana testatur experientia, et confirmat Thomas Kemp. dum ait: O quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia! Hodie confiteris peccata, et cras iterum peccata confessa. Nunc proponis cavere, et post horam agis, quasi nihil proposuisses. L. I, c. XXII. Ad quem proinde partum expediendum non minus prompta est, quam ad S. Joannis partum fuit, cum et is præcipue tendat ad *gratiam*, quam Joannis nomen significat, pariendam. 3. Ad partem *agrorum, animalium, hortorum, etc.*, ad quem facilitandum per pluviam divinæ benedictionis, quod ipsa singulariter juvet, jam olim Deus per figuram nubeculae parvæ ab Eliæ famulo conspectæ, et in pluviam salutarem resolutæ ostendit; vel etiam per arcam foederis in domum Obededom, cui propterea Deus singulariter benedixit, introductam. Ut adeo civis a se visitato dicere merito possit B. Virgo cum Jacob: Modicum habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum. GEN. XXX. Excitentur itaque auditores, ut dicant cum Sponso: Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni. CANTIC. II, 14. Aut cum S. Davide: Memento nostri, Domine (aut Domina) in beneplacito populi tui, et visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate etc. Ps. CV, 4.

Ex occasione sententiæ: *Spiritus meus super mel dulcis*, (EccL. XXIV, 27), potest B. Virgo api mellilegæ comparari. 1. Ob singularem castitatis amorem. 2. Ob sapientiam singularem et industriam, in melle charitatis, tum erga Deum, tum erga ho-

mines colligendo. 3. Ob amorem solitudinis, dum perinde ut apis nunquam ex domo sua facile exivit, nisi ubi dicti mellis conficiendi occasio invitavit. Qua de re fuisus agit Engelgrav. in *Phœt. Emblem.* 24, § 1 et 3.

Pro Festo Purificationis

Potest B. Virgo cerea, hoc die offerri solito, comparari. 1. Quia *quoad corpus* ex virgine *cera*, id est, virginitate et summa vitæ innocentia confecta erat; et præterea variis et amœnissimis coloribus modestiæ elegantior ornata. 2. Quia *quoad animam*, quæ *lychni* vicem obibat, erat ex tenuissima et purissima lana, id est, summa puritate, etiam originale peccatum excludente, composita. 3. Quia *lucæ* quoque splendidissima sapientiæ celestis, et ardentissime charitatis fulgebant. Ut adeo merito quis hunc cereum assumens, et præcipue in agone retinens, dicere queat cum Simeone: Nunc dimittis servum tuum, Domine; quia sperare potest in se virificandum illud Salomonis: Qui me invenit invenit vitam, et hauriet salutem a Domino. PROV. V, 33.

Ex occasione verborum illorum: *Beato, quæ credidisti*, LUC. VII, 43, potest et magnitudo ac excellentia fidei ab hac sacratissima Virgine exercite, et fructus ex ea exortus, explicari. Et 1, quidem excellentia fidei ex altitudine objecti crediti colligitur; quia enim, ut S. Leo aiebat, magnarum hic vigor est mentium, et valde fidelium lumen animarum, incunctanter credere, qua corpore non videntur intuitu; inter talia vero objecta cum merito ex præcipuis et altissimis reputetur Incarnatio Dei, recte colligitur excellentissimam Deiparæ fidem fuisse, maxime cum ea inter ipsos etiam passionis Filii sui turbine inextincta manserit, ut adeo merito illi applicetur illud Salomonis dictum de muliere forti: Non extinguetur in nocte lucerna ejus. PROV. XXXII, 18. Et hoc ipsum S. Mater Ecclesia significat, dum in ultimi tridui matutino in sacra hebdomade omnes candelas candelabro insistentes, præter unam, extinguere jubet. 2. Quam pretiosum fructum tulit ex hac sua fide, nimirum illum, de quo Elisabeth dicebat: Benedixit fructus ventris tui; hunc enim fidei illius adseribi debere, ipsa S. Elisabeth testata est, dum statim object: Perficietur enim in te, quæ dicta sunt tibi a Domino, scilicet, quod concipies et paries Filium Dei. LUC. III,

45. Unde sapienter dixit S. Augustinus: Beatior fuit Maria perepiendo fidem Christi, quam concipiendo. Hinc a SS. Patribus Mater credentium, hæcsum Interemprix, Sceptum fidei appellatur. Excitentur proinde auditores, ut, quoniam et ipsi fide concipere et gignere possunt Filium Dei, sæpius hanc Illuminatricem et Magistram, immo et Matrem credentium, pro gratia credendi interpellent, dicantque cum Apostolis: Domine (et Domina) adauge nobis fidem. Videri potest Pistor. conc. XX, p. I et II; Mickov. disc. LXXXVIII, et CXLXXII, n. 4; Gasp. Tausch. in *Matre dolorosa*, l. II, c. 1.

Ex occasione sententiæ Salomonis: *Honora Domum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum*, (LUC. I, 45.) ostendi potest 1. Quam perfecte et præclare hoc consilium impleverit B. Virgo, servando omnes conditiones ad perfectam oblationem requisitas, dum scilicet *liberale munus* (optimum, quod habebat, ipsum Christum) *liberali animo*, seu intentione (nempe non ex necessitate aut tristitia, sed cum hilaritate et spontanea voluntate) et *liberali devotione*, seu affectu (nimirum ex tota cordis intentione, promptissimaque voluntate ad omnia, quæ Deus tum circa oblatum, tum circa offerentem dispositurus esset, de manu illius acceptanda et approbanda) obtulit. 2. Ostendi potest, quem fructum reportarit ex hac oblatione, illum scilicet, quem Salomon, l. c. subjunxit his verbis: « Et implebuntur horrea tua saturitate et vino torcularia redundabunt. » Explicetur proinde, quemnam fuerit ista saturitas, videlicet perfecta possessio Dei per amorem perfectum, et plenam conformationem cum divina voluntate, qua sola, velut ultimo fine, satiari potest humanus animus. Item quid sit vinum, nempe perfecta lætitia, et quies ex dicta conformitate oriri solita. Excitentur proin auditores ad dietam liberalitatem imitandum, ut similes effectus tam in spiritualibus, quam temporalibus experiri queant.

Pro Festo Assumptionis.

Ex occasione verborum, *Maria optimam partem elegit*, ostendi potest singillatim, quomodo B. Virgo optimam partem elegerit. 1. *In bonis corporis*, pulchritudinem, virginitatem, claritatem et incorruptibilitatem. 2. *In bonis animæ*, immunitatem ab omni peccato, etiam originali, plenum usum ra-

tionis a momento conceptionis, donorum abundantiam in eodem primo instanti, libertatem a stimulo concupiscentiæ. 3. *In bonis gratiæ*, cujus tota plenitudo se infundit a Christo, velut capite, in B. Virginem, velut collum, sicque per partes tandem distributa est in reliqua membra. 4. *In bonis gloriæ*, quæ, sicut gratiæ commensurari debebat, supra omnem Sanctorum gloriam major collata est. Excitentur proinde auditores, tum ad gratulationem, tum ad imitationem in meliori parte eligenda. Quem in finem servare potest them. v Fabri, in *Auctario*, et Pistor. conc. XVII, part. III, in *Matre admirabili*.

Potest explicari triumphus, quo B. Virgo in cœlum assumpta est, comparatione cum triumpho Romanorum instituta; et 1. quidem ostendi, quomodo Flamines et summi Sacerdos, nempe Christus cum Sanctis omnibus ei obviam processerit. 2. Splendidus vestitus, juxta illud Davidis: Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, Ps. XLV, 10. 3. Quomodo liberatæ animæ ex Purgatorio per ipsam sublevatæ sint. 4. Quomodo prædam ipsius, id est, merita tot annis per tantam charitatem aliasque virtutes comparata secum tulerit. 5. Quomodo in cœlesti capitolium cum summo jubilo introducta, et SS. Trinitate cum maxima benevolentia excepta sit. Excitandi proin auditores ad congratulationem, et ad similem triumphum paribus meritis comparandum. Pro quo fine servare potest conc. XVI Pist. p. III, f. 304 et seqq.

Ex occasione verborum, quæ in libris Regum reperitur: *Survexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam et sedit super thronum suum, positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dextram ejus*, (III REG. II, 19) explicari potest gloria B. Virginis assumptæ magnitudo, per throni Salomonici comparationem. Et 1. quidem, quod fuerit proximus throno Regis, id est, super omnes alios Sanctos. 2. *De ebove grandis*, ad significandum corporis glorificati dotes. 3. *Vestitus auro fubeo nimis*, quo gloria et beatitudo animæ in visione et amore perfectissimo Dei inuatur. 4. *Qui habebat sex gradus*, quo denotabantur sex tituli, quibus sanctissima Virgo gloriam suam fuit promerita, nimirum humilitas, charitas erga Deum, charitas erga proximum, obedientia, patientia, perseverantia. De quibus videri potest Faber. conc. 3 in hoc festo.

Ex occasione verborum: *Signum magnum apparuit in celo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.* (Apo. x, 1) potest pariter explicari singularis gloria et privilegia B. Virginis. Et 1. quidem per *solem* intelligi potest ipse Deus, in quem ita per visionem beatificam immersa est, ut quasi eodem amicta videri queat. 2. Per *lunam* intelligi potest totus mundus cum omnibus creaturis, quarum Domina et Regina constituta est. 3. Per *coronam stellarum duodecim* intelligi possunt vel duodecim privilegia, nempe predestinatio ab æterno, conceptio sine macula originali, virginitas singularis, maternitas admirabilis, fecunditas sine corruptione, gravidatio sine gravamine, partus sine dolore, conversatio cum Christo intima, martyrium sine sanguinis effusione, obitus sine dolore, assumptio in corpore et anima, exaltatio super omnes choros Angelorum et Sanctorum. Vel duodecim speciales virtutes, quibus coronam seu gloriam suam est promerita, quarum quatuor quidem tendebant ad Deum, nempe fides, spes, charitas, religio; quatuor ad proximum, scilicet dilectio, obedientia, misericordia, modestia; quatuor ad seipsam, nimirum humilitas, virginitas, patientia, paupertas. Excitandi auditores ad gratulationem hujus gloriæ, et coronam hanc per frequentem recitationem duodecim salutationum ei imponendam.

Ex occasione sententiæ: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* (Eccl. xvii, 17) potest gloria B. Virginis per comparisonem cum cedro factam explicari. 1. Quia sicut cedrus est altior aliis arboribus; ita ipsa exaltata super omnes Sanctos, ut Idiota significavit dicens: Omnium Sanctorum privilegia, Virgo, omnia habes in te congesta, nemo æqualis est tibi, nemor major te, nisi Deus. Lib. VI, tom. V. *Bib. sanct.* 2. Quia ut cedrus odore suo fuget serpentes; ita ipsa Diabolum, quemadmodum ipsa S. Brigitte revelavit, dicens: Nullus est tam frigidus in amore divino, quin, si invocaverit nomen meum integro proposito penitendi, statim ab ipso Diabolo recedat. 3. Quia ut cedrus nullos patitur vermiculos, sed est tota incorruptibilis; ita B. Virgo erat incorrupta quoad corpus et animam, uti Faber, conc. 6, in hoc festo probat variis ex causis. 4. Quia ut cedrus ad plurimas medicinas servit; ita B. Virgo singulariter ad corporum animarumque salutem procuran-

dam miram habet efficaciam. 5. Quia sicut cedrus latissime diffundit ramos; ita B. Virgo tutissimum et commune est afflictorum omnium refugium, et unicuique molestiarum levamen, uti SS. Bonaventura et Damascenus loquuntur. 6. Quia ut cedrus pretiosum ex se fructum gignit; ita B. Virgo nobilissimum fructum, id est, Christum corporaliter, infinitos vero Christianos spiritualiter genuit, ita ut dicere jure possit illud Siracidis: Ego fructificavi suavitate odoris, et flores mei fructus honoris et gratiæ. Eccl. xxiv, 19. Excitandi proin auditores, ut sibi ab hac cedro dictum puteum illa commemorati Siracidis verba: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini. Videri potest de hac materia Pistorius, in *Matre admirab.* conc. 20, in exord.

Ex occasione sententiæ: *Exurge psalterium, et cithara.* (Ps. cvii, 3.) potest B. Virgo assumpta citharæ comparari. 1. Quia et ipsa variis virtutibus tanquam fidibus ornata, adeo amabilem sonum elicit, ut Sponsus ipse ejus audiendæ desiderio accensus dixerit: Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora. 2. Quia ipsa potiori modo effectus citharæ producit; effacius fugat spiritus malos, quam cithara Davidis; potentius ab ore aut Purgatorio animas reducit, et facilius silvestres feras, id est, peccatores ad se trahit, quam Orphei cithara; mirabilis saxa ad ædificandam celestem urbem Jerusalem in hoc mundo præparata, id est, moribundos, sursum trahit, aut eosdem velut pisces ex mari hujus mundi ad littus æternæ patriæ adducit, quam cithara Amphionis, et denique suaviter et copiosius Deum laudat, quam cithara seniorum etharizantium in citharis suis. Adhortandi proinde auditores, ut deinceps ad hanc citharam semper confugiant, et sive in tristitia constituti, sive animas ex Purgatorio liberare cupientes, sive Deum laudare volentes dicant: Exurge psalterium et cithara. Caveant vero, ne propter teporem illorum cum veritate dicatur: Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Apo. v, 9 et xiv, v, 2.

Pro fiducia in B. Virgine excitanda.

Potest B. Virgo arce Noëtiæ comparari, eaque similitudo ex quatuor causarum generibus probari. 1. Ex *materiali*, quia erat

ex cedro incorruptibili, per gratiam divinam velut picem bene contra aquas diluvii, id est, peccata, munita. 2. Ex causa *formali*, quia erat latissima et longissima, altissima et profundissima per misericordiam ad Colites et inferos, cum omni affectus latitudine et longitudine se extendens. 3. Ex causa *efficiente*, quia hanc Deus, verus Noe, id est, requies nostra, ædificavit. 4. Ex causa *finali*, quia non propter temporalem interitum averendum a Deo facta est. Excitentur proin auditores, ut mature per geminos pedes fiduciæ et venerationis ad eam confugiant. Videri potest Miekov. disc. 370, et in proemio antecedente, ubi pulchra sententiæ ex S. Bernardo desumpta hanc similitudinem probat; item Pistorius, conc. xx, part. 1, n. 4, ubi probat, B. Virginis amorem inter potiora signa predestinationis merito numerari.

Potest B. Virgo lauro comparari. 1. Quia sicut laurus est Virginitatis symbolum; ita ipsa Virginitatis Magistra. 2. Quia sicut laurus olim Jovi et Apollini erat dicata; ita ipsa vero Deo in templo ab infantia consecrata. 3. Quia sicut laurus est arbor elegantis et rectæ formæ; ita ipsa tota pulchra, et recta semper ad coelum tendens. 4. Quia sicut laurus semper virentia habet folia; ita B. Virgo nunquam defervescebat in studio perfectionis et servitio Dei. 5. Quia sicut fructus lauri interius candidus, exterius niger est; ita B. Virginis vita exterius humilis et despecta, interius candida candore conscientiæ, et unctione Spiritus S. unctuosa facta erat. 6. Sicut Apollo nulla dabat responsa sine lauro; ita Deus nulla dat dona sine B. Virgine. 7. Sicut lauri folia, ejus si bene contendantur, mitigant et sanant puncturam vesparum et apum, omnem tumorem pellunt, libros et vestes a vermibus illasos servant; ita B. Virginis virtutes, si bene perpendantur, mitigant morsum tentationum carnis et Diaboli, tumorem superbiæ comprimunt, et animam a vermibus conscientiæ illasam custodiunt. 8. Sicut laurus est miræ aromaticitatis, et odorifera valde; ita B. Virgo mirum odorem boni exempli reliquit. 9. Sicut laurus, quia Jovi consecrata est, nunquam tangitur a fulmine; ita et multo magis hoc privilegium convenit huic Lauro; nam illam quidem laurum non semper a tempestate protegere, testatur Uriomercatus, Cardanus et alii scriptores, sed ex nulla historia habetur, eum, qui per verum amorem et fiduciam sub hanc

arborem confugit, fuisse fulmine ultimæ et fatalis sententiæ percussum. Certe talibus perinde dicat Deus, ut olim Salomon ad Abiathar: Equidem vir mortis es; sed hodie non interficam te, quia portasti arcam (vel Laurum) Domini Dei tui; id quod probari ulterius potest, maxime ex historia, qua habetur, ex duobus sociis peregre euntibus, alterum fulmine percussum, alterum, quia exclamavit: *Sub tuum præsidium, etc.* illasum abisse; quanto magis ergo a spiritali fulmine eoque magis horrendo, liberabit?

Ex occasione sententiæ: *Qui me invenit, invenit vitam, et hæret salutem a Domino.* (Prov. v, 33.) potest ostendi, quomodo veri cultores B. Virginis inveniant triplicem vitam. 1. *Temporalem*, per animæ unitæ conservationem. 2. *Spiritualem*, per gratiæ recuperationem vel augmentum, uti invenit Theophilus, et multi alii peccatores. 3. *Æternam*, per gloriam, quæ, ut singularis, debetur ipsi maximæ Virgini, ita specialis quoque olim conferretur cultoribus illius. Vide Miekoviensem disc. 121 et 122. Item disc. 352 et 359.

Ex occasione variorum asyloium, quæ Deus in veteri Testamento elegit, scilicet *Arce Noëtiæ*, cui Christus comparari potest; *Montis*, per quem Sancti intelligi possunt; *Templi*, quod Ecclesie Catholice applicari potest; dici poterit, quartum asyllum fuisse civitates quasdam, *Urbes refugii* dicatas, et his B. Virginem aptissime comparari. 1. Quia, uti via ad illas plana et aperta erat; ita et ad B. Virginem facilissimus aditus. Hinc S. Bernardus: Ille solus sileat laudes tuas, qui te fideliter invocalem senserit unquam in suis necessitatibus defuisse. Et quid mirum, si invocata adest, quæ etiam non vocata præsto est? S. BEAT. s. iv in *Assumpt.* 2. Quod, sicut in bivio reperiebantur columnæ, nomen aliquod inscriptum habentes, et sic veram viam ostendentes; ita ad B. Virginem amandam mille argumenta et incitamenta reperiantur, qualia sunt exhortationes SS. Patrum; libri de ea scripti; templa et imagines miraculosæ; exempla innumera ferventium Christianorum; beneficia per illam conferri solita etc. 3. Quod, sicut finis illarum civitatum erat homicidii non meditati reos recipere, et protegere; ita B. Virginis unicuique desiderium sit, ad se confugientes defendere; id quod tam multa insigniaque exempla abunde probant, quorum

unum alterumque, maxime de Theophilo, vel tribus Fratribus ab Ismenia Sultani filia liberatis, recenseri potest. Excitentur proinde auditores, ut sæpe non tam verbis, quam facto confugiant ad hoc asylum. Videri potest Pistor. conc. xviii, in Exod.

Ex occasione orationis, qua S. Franciscus Xaverius B. Virginis opem invocavit clamans: Domina, opitulare. Domina non opitulaberis? aut: Mater Dei memento mei! possunt explicari tria potissima motiva fiduciam erga hanc sanctissimam Virginem et Patronam excitantia. Nempe 1. quia scit *juvare* ut Advocata a Deo constituta. 2. Quia potest *juvare*, ut Mater Dei. 3. Quia *vult juvare*, ut Mater Misericordiae. Hortandi itaque auditores, ut illud S. Bernardi assiduo in mente habeant: In periculis, in rebus dubiis Mariam cogita; Mariam invoca. De qua materia fusiùs vide tractantem Pistor. conc. xviii Miekov. disc. 270 et 275, item Fabrum, conc. vii, in *festo Ass.* ubi ostendit, B. Virginis patrocinium esse invocandum, quia potentissimum, promptissimum, amplissimum est. Item in *Auctario*, them. 4 in *codem festo*, ubi B. Virginem platano arbori comparat, et, sicut umbra platani est latissima, densissima, passim obvia, et folia nunquam demittens; ita B. Virginis quoque protectionem latissimam esse, potentissimam, paratissimam ad juvandum fidelem atque constantem.

Pro cultu Mariano promovendo.

Ex occasione verborum illorum: *Ecce Mater tua*, dici potest, hoc Christi fuisse ultimum testamentum, quo insinuare voluit, velle se, ut homines omnes ipsam ut Matrem venerentur et ament. Ostendatur itaque, quod hoc testamentum sit a septem testibus subscriptum, qui omnes exemplo suo hanc Christi voluntatem approbarunt, nempe 1. Deus. 2. Angeli. 3. Sancti. 4. Ecclesia. 5. Catholici. 6. Hæretici et Infideles. 7. Creature insensibiles, ut fusiùs de singulis ostendit Faber, conc. 7, in *festo Nativ. B. V.* et Pistorius, conc. 20, part. 2, Miekov. disc. 213 et 214.

Possunt per quatuor eorum, currum gloriæ B. Virginis trahentium, similitudinem, explicari quatuor officia, in quibus præcipue cultus Marianus consistit; videlicet 1. In congratulatione. 2. In veneratione. 3. In imitatione. 4. In invocatione. De quibus vide

Fabrum, conc. viii, in *festo Nat.* Pistorium, conc. xx, part. III, Miekov. disc. 215 et seqq. Gasp. Tausch. in *Matre dolor.* I. III, prax. v, 12.

Ex occasione sententiæ: *Ego sum Mater pulchre dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctæ spei*, explicari possunt motiva ad devotionem incitantia; quemadmodum fusiùs id facit Faber, conc. viii in *festo Assumpt.*

ALII CONCEPTUS.

Maria dolorosa.

Et quidem in passione fuit amarum mare Beatissimæ Virgini, dulcissimi Filii separatio, cum esset totus desiderabilis; propter hanc subtractionem, Propheta in persona Virginis ait: « Cor meum conturbatum est in me, et dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum »; vel, secundum aliam translationem apertius inquit: « Cor meum fluctavit ». S. Aug. legit: *Contristatum est cor meum*; amari namque maris intensissimorum dolorum Filii sui fluxus et refluxus in anima et corde Deiparæ Mariæ per renovatos semper dolores incessanter inundabant, et fluctabant. Unde Arnoldus Carnotensis ait: Erat in anima illa tempestas valida, occurrentibus sibi procellis. S. BARN. s. II, t. III, n. 1, c. 1.

Genæ Virginis in Sacris Canticis, genis turturum assimilari noscuntur « Pulchre sunt genaturæ sicut turturis ». Ubi Pagninus legit: « propter margaritas ». Quod vero genæ Deiparæ in turture potius, quam in alio quocunque volucrum genere præfigurentur, hujus hæc præcipua ratio; quia turtures consorte suo viduata, continuo ingemiscunt, atque ab earum oculis margaritæ, id est, lacrymæ copiose scaturiunt; cum igitur in hisce verbis Beatæ Virginis a Filio suo derelictæ, ingens dolor adumbretur, non sine ingenti mysterio lacrymæ ipsius margaritis potius assimilantur, quam v. g. adamantibus, topaziis, vel aliis similibus gemmis, quia margaritæ non in dulcibus lacuum, torrentium, et fluminum aquis, sed in salsis maris undis generantur, ut per hoc insinuetur, quod lacrymæ Mariæ compatientis non stillaverint, quemadmodum aliorum lacrymæ manare solent, sed potius omnem excesserint amaritudinem, utpote quæ in amplo quodam doloris mari productæ fuerunt: Velut mare contritio

ejus; congregationesque aquarum appellavit maria. Porro per aquas illæ denotantur intensissimorum dolorum pœnæ, quibus ordinariæ cor humanum cruciari solet: Beata Virgo autem tempore passionis Filii sui in cordis sui centro omnes exceperit acerbissimos cruciatus, quos nunquam passi, vel passuri sunt omnes Martyres, immo et omnes alios, in finem usque sæculorum sustinentes. Mansi, tr. lxiv. disc. n. 3.

Tria faciunt ad compassionem, ex parte compatientis ad illum, cui compatimur. Primum est passionis vehementia. Secundum ipsius vehementiæ in compatiente notitia. Tertium ipsius ad compatientem amor, et amicitia. Primum, inquam, est passionis vehementia. Quanta autem fuerit acerbitas passionis Christi inexplicabile est omni lingue Angelicæ, vel humanæ, superat omnis puræ creaturæ capacitatem. Secundum, hujus passionis apud Matrem piam maxima fuit notitia, quia adstabat Filio suo morienti, quem noverat esse Filium Dei. Tertium est, ipsius ad compatientem amor. Summe igitur compassa est, quia summe dilexit eum. Non tantum quippe afflicta fuisset, si cruciatus illius non vidisset. S. BERN. t. III, fer. II.

Idem querit, cur non est mortua Beata Virgo, si tanto dolore repleta fuit? Siquidem hoc audivimus de uxore Phinees, I, Reg. 4, quod in captione Arce, et viri sui morte, præ dolore mortua est. Ad hoc respondet Anselmus, quod mortua fuisset, si Spiritus Sanctus eam non confortasset. Unde ait: Pia Domina, non crediderim, te ullo puneto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vite, Spiritus consolationis, Spiritus dulcedinis Filii tui, pro quo moriente tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret, non esse mortem enim assumentem, sed magis triumphum, omnia ei subjicientem, quod in ipso fieri coram te moribunda videbas. Ibid. Taulerus autem hæc in re meditat, inquit: Nihil est ambiguum, quin nisi divina fuisset bonitate servata, roborataque, cor illius devotissimum præ dolore diruptum fuisset.

Landspergius dolentem Matrem his verbis describit: Stabat, quia decentissimis, gratissimis, itemque honestissimis semper utebatur moribus, unde quantumque tabesceret dolore, nihil tamen in opere, nihil in moribus, nihil in gestu corporis, aut sermone indisziplinatum, nihil immodestum, inve-

recum dumve, aut non sanctum, doloribus, Maternave pietate separata exhibitum. Non igitur vociferata fuit, non ejulavit, non rugiit dolore, non se percussit, quomodo aliæ interdum desolatæ faciunt mulieres, sed virginalis disciplina, modestiæ singularis, dolorem internum, ne turpiter erumperet foras, coercuit. Nihil tamen propterea minus, sed multo etiam vehementius intus dolebat, quod foris honestatis, maturitatisque causa sum non manifestabat dolorem. LANDSPERGIIUS. h. XLVIII de pass.

Maria venerando.

Quantum natura Angelica humanam excellat, id nemini obscurem. Quando autem Deus, ut hominem redimeret, naturam alienam assumere, et sibi devincere voluit, videtur magis congrue, at decentius facturus fuisse, si præmissa humana Angelicam sibi univisset, et Angelos juste expostulare potuisset, quod iis posthabitis humana se carne vestivit. Occurendum querelis putavit Deus, Colorumque Reginam, ex mellifluis Bernardi annotatione, tantis venustavit gratiæ ornamentis, ut Angeli eum se, atque illam conspicerent, perstringerentur ejus fulgoribus, et abriperentur donorum, quibus illam cumulatam videbant, splendoribus, sic, ut non solum magnitudini eximiam Sanctitatis, et incomparabilium gratiarum ejus lubentes concederent, verum etiam Deo suaderent, ut ex illius castissimis, atque intemeratissimis visceribus carnem assumeret, quando carne se amice decretum haberet. S. Bernardus, hom. 2 super *Missus* est, sic habet: His Virgo Regina gemmis ornata virtutum, specie sua, et pulchritudine sua cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cœlestem nuntium ad se de supernis educeret. Sed quam ob rem, cœlestis Pater ostentat magnitudinem gratiæ Mariæ, eamque Angelorum oculis, et consideratione subjicit? Eam ob rem, ut ejus elegantiam abrepti, oppido seilla inferiores agnoscerent. Illorum nempe intererat, quia cum aliam creaturam se longe digniorem, ac præstantiorem carnebant, non habebant, quod oblectarent, aut obloquerentur, quod Deus humana non Agelica natura, ad vindicandum in libertatem genus nostrum, utebatur. DIDACUS NYSS. s. VI, post *Dom.* 2 *Quadr.* s. 1. Etsi omnes toto orbe dispersæ lingua in

unum coeant, non possunt ejus laudes oratione consequi, cum ipsa omnium encomiorum laudes excedat. Immo cui prædicanda nec Angelorum laudes sunt satis, eo quod ejus perfectio soli Deo cognoscenda reservata est; ideo solius Dei est, eam pro dignitate laudare. Nec mirum, quia, ut bene docet S. Thomas, B. Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, ita ut ex hac parte non possit aliquid fieri melius ea, sicut non potest aliquid melius esse Deo. Ideo soli Deo cognoscenda reservatur ejus perfectio, inquit S. Bernardus Senensis. Unde sequitur, Dei tantum esse laudare eam pro dignitate, qui, quas novit, rationibus, in ea fecit miracula, ut ait Andreas Cretensis. S. BONAV. in *Specul. ex.*

MISCELLANEA.

Mariæ nomen.

S. Brigitte Despara dixit: Audi, quantum Filius meus nomen meum honoravit. Meum nomen dum audiunt Angeli, gaudent, Deoque gratias agunt, quod per me, et meam tantam gloriam fecit, et quoniam vident humanitatem Filii mei in Deitate glorificatam. Qui in Purgatorio sunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger jacens in lecto, cum audit verbum solatii; Angeli etiam boni audito hoc nomine justis magis propinquunt, et de eorum letantur profectu, quibus sunt ad custodiam deputati. DIONYS. CARTH. I. III, de *Laud. Virg.* c. ult.

Athenienses nulli unquam Aristogitonis nomen imposuerunt, eo quod Tyrannos eorum a Republica semel expulisset, et patriam a servitute liberasset. MIEKOV. dis. LXXXIII.

In exercitu Alexandri Magni cum fuisset quidam abjecti pusillique animi miles, Alexander nomine, Rex, ubi id cognovit, ad se accessit acriter his verbis objurgavit: Aut Alexandri nomen deponere, aut Alexandro digna gere. Ibid.

S. Brigitte dicebat alias Cœli Regina: Omnes Dæmones venentur ac timent, quia audientes hoc nomen Maria statim relinquunt animam. L. I *Rev.* IX in *Ps.*

Hinc S. Bonaventura dicebat: Ab invocatione nominis tui trepidat Spiritus malignus. Pax multa diligentibus nomen tuum.

Maria dolorosa.

S. Brigitte revelavit B. Virgo dolorum suorum magnitudinem et multitudinem, ac inter alia dixit: Dolor Filii erat meus, quia cor ejus erat cor meum. L. IV *Rev.* c. XXIII et LXX.

Refert Xenophon, quod Cyrus Rex aliquando ex Tigrae Armeniæ Rege cum conjuge sua captivo quæsierit, quid pro sua conjugis redemptione dare vellet? Cui cum ipse respondisset: Integram regnum, o Rex, quod abstulisti, insuper vitam et sanguinem; adeo delectatus est Rex hoc responso, ut ambos liberos dimiserit, regnumque restituerit. Ubi cum Tigraes multa quondam de Cyri rebus dissereret, et ad conjugem conversus quaereret, an non et ipsa similia observasset? respondit illa, se ab eo tempore, quo vitam et sanguinem pro sua redemptione ab ipso oblatum audivisset, nunquam mentem aut oculos ad alium, quam ipsum, deflexisse. TAUSCH. in *Matre dolor.* lib. I, c. XIII, § 3.

Id, quod in libro Genesis legitur: Congregentur aque, quæ sub celo sunt, in locum unum; et factum est ita, appellavitque Deus congregationes aquarum maria; recte Interpretes non tantum Maria gratias, sed etiam doloribus applicant, ita ut, quidquid alii Sancti passi sunt, id omne in Mariam confluerit, atque adeo convenienter *amarum mare* significare nomen ejus dicatur. Sed ne his succumberet, posuit Deus firmamentum suæ opis et gratiæ, divisitque aquas (id est, tribulationes ex supernaturalibus motivis toleratas) ab aquis (ex naturali affectu confluentibus) et illas quidem sustentavit, has vero protexit ac fovit, ne eis succumberet dolorosa Mater. Ibid. cap. IV, § 5.

Eidem S. Agnes revelavit, B. Virgine quæ tot ictus gladii sustinuisse per compassionem, quot in Filio vulnera et plagas spectabat. L. VI *Rev.* cap. xxx.

S. Lucianus presbyter Antiochenus, cum ad martyrium destinatus, altare, in quo S. Eucharistiam offerret, non haberet, ad discipulos ea de re sollicitos dixit: Altare erit nobis hoc pectus meum; sicque super illo hostiam immolavit. EUSEB. I. IX, *Hist.* c. v. Pari modo, teste Arnoldo Carnotensi, B. Virgo se mactabat in altari; ligna et flammæ colligebat, altare erat in corpore Filii. In *trac. de 7 Verb.*

Lilium inter spinas vocatur Mater dolorosa,

quia quaecumque spinæ Filium, eadem et Matrem confixerunt, et lacerarunt vulneribus condolentia. RUPESTUS, in IV *Cent.*

B. Virgo S. Brigitte dixit: Qualem tristitiam haberem tunc temporis, (nempe sub cruce) non est, qui valeat dicere. Eram enim sicut mulier parturiens, cujus omnia membra post partum tremula sunt. L. *Rev.* II.

Christus in *Revelationibus* S. Brigitte sic Matrem alloquitur: Testimonium perhibeo tibi, quod in passione mea plus fuisti, quam Martyr. L. I, c. XXV.

S. Antoninus sic discurrit: Dationi animæ debetur laureola martyrii; ergo cum B. Virgo dederit pretiosissimam animam, id est, vitam Filii sui, pretiosissima ei laureola debetur. PART. IV, tit. XV, c. XXIV, § 1.

Rex Achis, cum effrenatos mores subditorum compescere, et perditam rempublicam emendare volens, propterea occisus ab illis, et ad matrem delatus fuisset, illa eum in gremio recipiens dixit: Heu me, fili mi, nimia tua bonitas et mansuetudo ac humanitas te simul ac nos perdidit! PLUTARCH. *apud MIEKOV.* dis. CCCXCI, n. 4.

Pelbartus testatur, Christum is, qui per Matris suæ dolores aliquid petiituri essent, quatuor gratias promississe. 1. Quod gratiam dare velit, ut ante finem vite verum de peccatis dolorem elicere possint. 2. Quod in hora mortis eis fideliter assistere velit. 3. Quod passionem suam bene cordi eorum imprimere velit, ex quo multum in gratia proficere possint. 4. Quod Matri suæ potestatem facturus sit petendi pro talibus servis, quidquid liberet. PAR. III, c. III, de *B. Virg.*

Duæ citharæ eodem tono attemperatæ si prope se collocentur, una tacta et sonante accinit et resonat altera; cum ergo, teste S. Bernardo, cithara factus sit Sponsus, cruce habente formam ligni, corpore autem suo vicem supplente chordarum per ligni planitiam extensurum; istaque cithara tempore passionis in luctum versa sit; quid mirum, si altera quoque cithara, nempe B. Virgo, prorsus illi attemperata per voluntatis consensionem, et juxta posita, similem luctum diderit. TAUSCH. in *Matre dolor.* c. II, § 3.

Hispanus quidam, cum duos lapillos nigros colore reperisset, advertissetque, uno sublato mox alterum sequi, duas tabulas cum viginti quatuor notis Alphabeti ordine dispositis, et indice apposito confici jussit;

quarum unam cum amico distanti dedisset, ad quamcumque litteram lapillus ducebatur, ad illam in distantis tabulæ altere quod movebatur, et sic distantes loqui sibi poterant. Similes lapilli erant Christis et B. Virgo, unde, quod is patiebatur, etiam hæc sentiebat. Ibid.

Maria veneranda.

Joannes Gerson Regnum Dei divinum esse dixit in duas partes, omnipotentiam scilicet, et justitiam, juxta illud Davidis: Duo hæc audi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia. Hujus Regni dimidium B. Virgini, veluti alteri Estheri, datum scilicet misericordia; alterum dimidium Filio reservatum, cui omne judicium dedit Pater. Tract. IV, in *Magnificat.* exercit. v.

Vasco Fernandez, Hispanus Eques, cum in insultu ejusdam civitatis ad domum quamdam urbis capiendæ pervenisset, schedam affixit hæc verba continentem: Huc pervenit Vasco Fernandez. Quod videns alius miles in proximo insultu, et ulterius progressus, in alia domo hanc schedam affixit: Huc Vasco Fernandez non pervenit. Idem potiori jure B. Virgo de excellentia meritorum suorum et gratiæ dicere potest. MIEKOV. dis. XCH, n. 3.

Quidam Orator, cum laudaturus Philippum Macedoniæ Regem, pleraque, que in ipso laudari poterant, enarrasset, denique hoc addidit: Hoc unum tibi dixisse sufficiat, filium te habuisse Alexandrum. Id quod potius de B. Virgine dici potest, cujus præconium reliqua omnia complectens est, Filium habuisse Servatorem Mundi, et Deum. Idem dis. CI, n. 7.

Zeuxes Helenam depingere a Græcis justus, quinque puellas formosissimas selegit, a quarum qualibet, quod in ea præstantissimum fuerat, selegit, et in imaginem suam transtulit. Ita Deus B. Virg. creaturus, quidquid in aliis hominibus præstantissimum noverat, in ipsa collegit. Idem, dis. CXXI, n. 7.

Alexander ab Alexandris refert, Regem quemdam, cum aquila calcem rostro arreptum ad ejus pedes projeccisset, varios nuntios, qui feminam, ad quam ille calcem pertineret, inquirent, ablegasse; cumque intellexisset, ad Rhodopen pertinere, mox eam sibi in conjugem assumpsisse. Ita cum humanum genus humilitatem B. Virginis

proposuisset, illud mox eam in Matrem et Sponsam elegit. *Pistoa. in Matræ admir. c. xv. p. II.*

Quando nata es, o Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænantia diei sempiternæ, quia sicut aurora est finis præterite noctis, et diei sequentis initium; sic nativitas tua finis dolorum, et consolationis fuit initium; finis tristitiæ, et lætitiæ nobis extitit principium. Quando autem Spiritus Sanctus in te supervenit, et Filium Virgo concepisti, et Virgo peperisti, tunc fuisti pulchra, ut luna. Sicut enim luna luget, et illuminat luce non sua, sed ex sole concepta; sic tu hebes, sed ex divina gratia. Quando autem de hoc assumpta, atque ad æthereum es thalamum translata, tunc es electa ut sol. *REFERTUS, in vi Cant.*

Pictor quidam volens imaginem B. Virginis elegantissime depingere, totam absolutè usque ad faciem, tum præmissa communione rogat B. Virg., ut assistere in hoc opere specialiter dignetur. Interea rapitur in cœlum, et B. Virg. stellis et sole multo clariorem conspiciat, cum ad imaginem suam rediret, ita etiam faciem eleganter depictam invenit, ut nihil amplius desiderari poterit. *Pistoa. con. xv. a. 2.*

Cum Henricus a Castris, ex Ordine S. Dominici, oraret in cella sua, subito lumine extincto, alia lux clarissima eandem occupavit, et vox eundem compellens audita est. Cumque ille: Ah! quid audio? diceret, responsum est: Ego sum Maria, Jesu Mater. Qua voce ille ulterius exclamavit: Ah! Virgo Sanctissima, Materque dilectissima, cum tu sis, ah! ostende mihi amabilissimam et pulcherrimam faciem tuam! Cui iterum illa: Fili Henrice, adhuc infans es, cresce et postea me videbis. *In Parad. aper. devot. III, infra octav. Assumpt.*

Maria invocanda.

S. Catharinæ Senensi dictum est quondam a Deo, B. Virginem esse quasi escam dulcissimam hamo Dei præfixam, ad homines in virtutis amorem pertrahendos. *ARRIAS, in pref. de Imit. B. V.*

S. Dominicus dixit: Si omnes Sancti a nobis alieni essent, et ad preces nostras surdi, Mariam tamen suum misericordiam nobis aperituram. Hinc B. Alano dixit: jam pridem mundum periturum fuisse, nisi ipsa

precebus suis iratum Numen placaret. *PERRUS PENNEO, in Isag. dis. II, n. 16.*

Alexander Magnus olim de matre sua dicere solebat: Una matris lacryma multas delebit epistolas (scilicet eas, per quas capitalis sententia lata erat) quanto magis hoc idem Christus de sua Matre dilectissima dicit! *PISTORIUS, in Matræ adm. con. III, par. II.*

S. Brigittæ quondam apprensens B. Virgo dixit: Ego sum Regina cœli, ego sum Mater misericordie, justorum gaudium, et aditus peccatorum ad Deum. Idem, con. XVII, p. II, *ex ejus Vita.*

Eadem B. Virgo S. Hyacintho, ex Ordine S. Dominici, quondam dixit: Gaude, fili Hyacinthe, quia orationes tue gratæ sunt Filio meo, et, quidquid ab eo per me petieris, impetrabis. Idem, con. XIII, p. III.

S. Mechtildi quoque dixit: Ego ad omnes, qui cum pietate et sanctitate mihi servierint, in agone veniam et illis adero, consolor, et protegam. *MIEKOV, disc. CXXIX, n. 27.*

SS. Patres B. Virginem merito collo comparant; quia sicut hoc capiti proximum est, mediumque inter caput et membra, et nulli per caput in membra influxus descendunt, aut vicissim ab his in caput humores ascendunt, nisi per collum; ita hæc omnia suo modo respectu Christi, velut Capitis, B. Virginis conveniunt; unde S. Bernardus dixit: Nihil Deus habere voluit, quod per Mariam manus non transiret. *S. de Nat. Virg.*

Monoceros, qui nec vi, nec arte ulla prendi valet, ad solam virginis in campis expositæ vocem accurrit et in sinum recumbens ab ea se nequi capique patitur. Applicæ ferocibus peccatoribus. *S. GRÆG. I. XI Mor.*

Coriolanus, Dux Volscorum creatus, cum nullis artibus a Romæ obsidione averti posset, sola tandem matris Voluminæ intercessionem placatus dixit ad eam: A te, o mater, primum victus discedo. *PLUTARCH. I. Vita-rum, in Coriol.*

Sicut sol in Leonis signo ferventissimus, ubi Virginis signum ingressus est, mitigatur; ita justa ira Leonis de tribu Juda, id est Christi, sedatur, si B. Virginis preces intervenierint. *S. ANTONINUS p. IV, tit. XV, c. XXI.*

Ægyptii ut Jovis iram compressam exprimerent, fulmen in molli thoro positum pingebant. Talis thorus erat utero Virginis, in qua ira Dei vim suam amisit. Idem, disc. CXXI, n. 7.

Maria salutanda.

S. Damianus salutationem Angelicam vocat rugitum leonis altissime vocis. Jodocus Beyselius de ea ait, quod plura habeat mysteriorum Sacramenta, quam verba et litteras. B. Alanus ait, esse paucam verbis, sed altam mysteriis. *Pist. con. XIV, p. I.*

Si vis ad Virginem ingredi, et eam salutare, oportet te esse Angelum. *HUGO CARNOT. in c. I Luc.*

Tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat, nisi caligo? Unde prius aqua lacrymarum se lavant, qui salutant. *S. THOM. VILLANOV. conc. I, de Annunt.*

Libenter nos salutat Maria cum gratia, si libenter eam salutamus cum Ave Maria. *S. Box. in Spec. c. IV.*

B. Alanus ait, ipsos etiam Apostolos, dum adhuc vivebat Virgo beatissima, salutationem hanc Angelicam usurpasse. Sed et in primitiva Ecclesia in summa veneratione fuisse habitam tam a Christianis, quam Apostolis, ipsa Virgo cuidam dilecto famulo revelavit, teste eodem Alano. *In I. de Psal. c. XV.*

Cum P. Ignatius Martinez, Societatis Jesu, quondam Catechesim haberet, infans sex menses vix dum natus et gremio matris caput erigens salutationem Angelicam recitare coepit. *Pist. conc. XIV, p. I.*

Cum S. Euphemiam, Diabolus per fenestram projicere pararet, mox per salutationem Angelicam recitatam fugatus est; id quod in aliis etiam tentationibus factum. *CESAR. I. V. Dial. c. XLIV.*

Cum S. Dominicus, in Academia Parisiensis concionari jussus, sublimes conceptus animo volveret, B. Virgo ipsi Rosarium recitanti apparuit, et libello oblato dixit: Fili mi, Dominice, etsi bona sint, que explicare pro concione decrevisti, longe tamen meliora attuli tibi. Aperto itaque libro ter in eo Mysteria de Rosario, quot verba, reperit. *Pist. conc. XIV, p. 2.*

AUCTORES.

Petrus Canisius, tomo integro.
Antonius Spinellus, in *Throno Deiparæ*,
Franciscus Arrias, de *Imitatione B. V.*
Eusebius Nievemburgius, de *Amore erga Deiparæm.*

Maximalinus Sandæus, in *Gemma mystica*.

Franciscus de la Croix, in *Hortulo Mariano*.

Paulus Barry, in *Paradiso aperto*.

Philippus D'Outreman, in *Pædag. Christ.* c. xxvi, par. II.

Jeremias Drexelius, in *Rosis Marianis*.

Joanne Nadasi, in *Anno hebdomadarum celestium*, et in *Anno Mariano*.

HYPOCRISIS.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est simulatio, qua quis se justum simulat, vel justiore, quam sit. Estque quoddam facti mendacium, crimen mortale involvens, si finis et intentio simulantis sit contra charitatem. *MARCH.* in *Tuba Sac.* tr. I, lect. 5. Desumptum autem hoc nomen est, teste S. Thoma, a specie eorum, qui in spectaculis contacta facie incedunt, modo in specie viri, modo in specie femine, ut in ludis populum fallant. *S. TH.* II, II, q. III, ar. 2. Et consentiens S. Basilii: Hypocrita, inquit, vocatur histrio, quia in theatro personam sustineat alienam, sepe heri, cum sit servus, aut regis, cum sit privatus. Itidem in hac vita perique vitam suam velut in proscenio ad ostentationem componunt aliud in corde gerentes, aliud in specie et hominum oculis præferentes.

DIVISIO. — Dividitur a Stapletono in *Externam* et *Internam*. Illa est, qua sola rectitudo externa, neglecta interna et vera cordis justitia quaeritur, de qua Christus locutus est cum dixit: Quaecumque dixerint vobis, facite, secundum opera eorum nolite facere. *THOM. STAPL.* in *Dom.* v, post *Pent.* Illa est, qua in omni virtutis genere laus et gloria humana captatur, de qua idem Christus dixit: Vae vobis Legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis. *LUC.* XI, 52.

ACTUS. — Primus est, sub pietatis nomine lucrum quaerere.

Secundus, exterius amicitiam simulare, et animo odium invidiamque fovere, juxta

illud Davidis; Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde locuti sunt. *PS.* XI, 3.

Tertius, in publico se justum ostendere, in occulto gravia scelera committere.

Quartus, consilere quid alteri, ad commodum illius tendens, et iterum suum bonum unice quaerere.

Quintus, in parvis rebus servandis anxium et sollicitum esse, grandium vero nullam aut exiguam curam habere.

Sextus, exterius humilitatem præferre, et interius gloriam et laudem humanam sectari. *MARCH.* tr. I, *Tuba Sac.* lect. 5.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. *MAR.* v, 6.

Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere. *MATTH.* XXIII, 4.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. *JOB.* XX, 5.

FUGA. — Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. *LUC.* XI, 1.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. *ECCLES.* I, 37.

Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, sicut modo geniti infantes; rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. *I. PETR.* II.

DAMNUM. — Numquid vivere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? Sic vite omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. *JOB.* VIII, 13.

Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint. *JOB.* XXXVI, 13.

Virum sanguinum et dolosum abominatur Dominus. *PS.* v, 7.

Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. *PROV.* III, v. 32.

Congregatio hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *JOB.* XV, 13.

Non veniet in conspectu ejus hypocrita. *JOB.* XIII, 16.

Partemque ejus ponet cum hypocritis; ibi erit fletus et stridor dentium. *MATTH.* c. XXIV, 51.

Vae vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. *MATTH.* XXIII, 27.

Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. *SOPH.* I, 8.

Qui sophisticè loquitur, odibilis est; in omni re defraudabitur, non enim est illi data a Domino gratia; omni enim sapienti defraudatus est. *ECCLES.* XXXVII, 23.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Tanta est hypocritica demencia, ut fœtoribus pro odoribus abutantur, et pretiosa vilia, et aspera suavia arbitrantur, et favorum sapor omnium dulcedinum superet condimenta, omnisque deliciasualitas contrariis delectetur. *S. CYPR.* S. de *Jejun.*

Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, et simulatio. *S. AUG.* in *Ps.* XXXVI.

Hi sunt oves habitu, astu vulpes, actu et crudelitate lupi. Hi sunt, qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, et boni videri volunt, ne soli sint mali. Mali videri timent, ne parum sint mali. Etenim minus semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. *S. BEAT.* s. 66.

Quid est vita hypocritæ, nisi visio quædam phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate? *S. GREG.* in *Mor.*

Quid dicturi sumus, qui iniqua operibus docemus, et sola voce ea, quæ sunt justa, pretendimus? Ossa jejuniis alterantur, et menle turgemus; corpus despectis vestibus tegitur, et elatione cordis purpuram superamus; jacemus in cinere, et excelsa non aspicimus, doctores humilium, duces superbie, ovina facie lupinos dentes abscondimus. *Idem.* in *Reg.*

Vult hypocrita scire divina eloquia nec tamen facere, vult recte loqui, nec tamen vivere. *S. GREGOR.* in *Moral.*

TOMUS II.

Hypocrita sanctus esse non appetit, sed vocari. *Idem.* *super Cant.*

Hypocritarum facies rationalis, sed corpus bestiale est. *Idem.* VIII. *Moral.*

Hypocrita in cunctis suis operibus nil aliud sperat, nisi reverentiam honoris, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari. *Idem.* lb.

Hypocrisis malum abscondit quod est, et bonum quod non est mentitur. *S. BEAT.* *super Cant.* Serm. XXIII.

Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, bene vestiti sine sollicitudine, delicatae pacis possessores sine labore, aliis detrahentes, mordaces ut canes, dolosi ut vulpes, superbi ut leones, intrinsecus autem lupi rapaces, mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ et latentis læsiviæ, ut ursi quærentes; volunt esse sine auctoritate iudices, sine visu testes, postremo falsi accusatores et omni veritate carentes. *Idem.*

FUGA. — Hypocrita, si bonum est, bonum esse, ut quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est, malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Si bonum est, bonum apparere, melius est bonum esse. Si malum est, malum apparere, pejus malum esse; ergo aut appare, quod es, aut esto, quod appares. *S. CHRYS.* *apud Fab.* con. II, in *Dom.* 22 post *Pent.*

Non indues vestem ex lana linoque contextam; per lanam simplicitas, per linum subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana linoque contextitur, linum interius celat lanamque exterius demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induit, qui in actione vel locutione, qua utitur, intus subtilitatem malitiæ cooperit, et simplicitatem foris innocentie ostendit. *S. GREG.* I. VIII. *Mor.*

DAMNUM. — Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum; nam manifestum malum quasi malum fugitur et cavetur; malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum uscipitur. *S. CHRYS.* hom. XIX, in *MATTH.*

Sicut prope summa et divina virtus est, neminem decipere, ita ultimum vitium est, quemlibet decipere. *S. AUG.* in I. LXXXIII, qu. LIII.

Si castum me esse simulo, et aliud est in conscientia mea, habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris. Et in comparatione dnorum malorum levius malum est aperte peccare, quam simulare, et fin-